



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 57. Regis Hispaniæ consultatio de modo hoc Concilium recipiendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

erat, prope Ecclesiam Divi Marci singularis Venetorum Patroni construi jufferat. Insuper idem Pius IV. præter hoc donum diploma concessit, in quo Senatum amplis laudibus deprædicabat, ac verbis omnino gravibus illorum submissionem erga sacram Sedem extollebat.

§. LVII.

Regis Hispaniæ consultatio de modo hoc Concilium recipiendi.

Verum non adeo prompte hoc Concilium in aliis Regnis acceptabatur, quippe Hispaniæ Rex, cum præter suam voluntatem Synodum fuisse absolutam ægre ferret, præprimis se præsentem Episcopos, Clerique sui Procuratores convocare constituit, ut de modo hæc decreta exequendi deliberaretur, unde cuncta, quæ toto currente Anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto in Hispania circa Synodi decreta fuere sancita, Regii Concilii jussu fuere effectui data. Ablegabatur insuper Philippus II. suos Deputatos ad diversas, omnesque Synodos, quæ Toleti, Hispali, Salmanticæ, & Cæsar-Augustæ eo ex fine habebantur, ut ea, quæ in rem essent, proponerentur, simulque de iis, quæ hac in occasione consultiora viderentur, deliberaretur. Denique Rex in
sua

Sæcul. XVI.
A.C. 1564.

Spond. hoc
ann. n. 4.
Sarp. hist.
Conc. l. 8.
p. 764.

Sæcul. XVI. suo Senatu tandem concludebat, quod
 A. C. 1564 Synodus in omnibus ipsius ditionibus
 absque ulla restrictione reciperetur, &
 promulgaretur, adderetur tamen quæ-
 dam clausula, vi cuius salva essent Re-
 gis, Regnique jura: hac igitur ratione
 Concilium non modo in Hispania, sed
 etiam in Belgio, atque utroque Regno
 Neapolitano, & Siculo fuit publi-
 catum.

§. LVIII.

*Galli hoc Concilium recipere
tergiversantes.*

*Thu. l. 35.
versus finem.
Pallav. n. 2.*

Attamen Galli longe majorem perti-
 naciam præferrebant; quippe Re-
 gina Franciæ Administratrix præprimis
 ad Nuntii Apostolici Sanctacrucii sol-
 licitationes respondebat, quod conspe-
 cto nondum confirmationis diplomate
 consultum foret, ut decreta, priusquam
 reciperentur, examini subicerentur,
 hancque in rem ipsa Cardinalem Lo-
 tharingium reducem expectaret: post-
 quam vero hoc diploma re ipsa in Gal-
 lias delatum fuit, Regina adhuc alios
 quærebat prætextus, quibus Synodi
 acceptationem eluderet: reduce autem
 Lotharingio Cardinale, ejus agendi ra-
 tio, quam in Concilio tenuit, vehemen-
 ter carpebatur.

§. LIX.